

et Capreolus ibi, quæst. 1, art. 1, conclus. 4, et art. 3, in defension. ejusdem conclusionis; et Adrianus, quæst. 3 de Baptismo, 2 parte illius, in fine, licet non satis explicet mentem suam; et similiter Angelus, in Summa, verbo Baptismus, 3, num. 10, dicit, eum, qui baptizat ob necessitatem sine solemnitate in peccato mortali, non peccare mortaliter, si non advertit et considerat statum suum; unde indicat, si advertat, teneri ad contritionem præmittendam. Non tamen explicant hi auctores, an hujusmodi homo, per se loquendo, teneatur advertere et discutere conscientiam, ut in statu gratiæ conferat sacramentum, et non in alio; si tamen consequenter loquantur, hoc videntur esse dicturi, quia, si quando advertit hujusmodi homo se esse in peccato mortali, tenetur se ad gratiam præparare, ut digne ministret, ergo simpliciter ac per se ad hoc tenetur; nam advertentia hæc non ponit obligationem ministrandi in gratia, sed supponit illam. Qua posita, ex vi illius tenebitur homo considerare, an sit debito modo dispositus ad sacramentum ministrandum. Atque ita explicata hæc sententia, juxta illam nulla erit differentia inter ministrum consecratum vel non consecratum, solemniter aut privatim, ex officio vel ob necessitatem ministrantem. Et pro eadem sententia solet referri Navarrus, de Pœnitentia, dist. 5, in princ., n. 33, quia sine limitatione dicit esse peccatum mortale, ministrare sacramentum in statu peccati mortalis. Atque eodem modo loquitur de ministrante baptismum, in Summa, cap. 22, n. 6; ibidem tamen, n. 3, cum dixisset, peccare mortaliter eum, qui in peccato mortali sacramentum ministrat, limitationem addidit, *saltem solemniter*. Potest autem hæc sententia suaderi primo, argumento Durandi. Quia nullus ministrat sacramentum, etiam si laicus sit, et in necessitate ac privatim ministret, quin illud faciat ut minister Christi ad hoc institutus; ergo tenetur illud in gratia ministrare, cum semper possit se disponere, et saltem contritionem præmittere. Consequentia probatur, quia est eadem radix obligationis, nempe sanctitas actionis sacramentalis, et reverentia illi debita, ac principali agenti, cui conformari debet minister, qui ut minister ejus operatur. Antecedens autem probatur, quia implicat aliquem operari sacramentum, et non operari illud, ut ministrum Christi. Tum quia necesse est, Christum esse, qui principaliter confert sacramentum et effectum ejus; ergo necesse est, omnem illum, qui sa-

cramentum confert, id facere, ut ministrum Christi. Tum etiam, quia nullus potest conferre sacramentum, nisi a Christo habeat potestatem, et ab eo institutus sit ad illud ministerium, quia omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti, quorum unum est minister, oportet ut sint a Christo instituta; ergo semper, qui dat sacramentum, operatur ut minister Christi.

2. Secundo arguuntur, quia si tunc cessat hæc obligatio, vel id est ob necessitatem suscipientis, vel ob defectum solemnitatis ecclesiasticæ, vel quia minister, privatim dans sacramentum, non est ad hoc munus specialiter consecratus. Sed ex nullo istorum capitum sumitur sufficiens ratio: ergo. De primo res est clara, quia necessitas suscipientis non impedit, quominus sancta sancte tractari debeant; alias sacerdos baptizans solemniter infantem jamjam animam agentem, non teneretur in gratia sacramentum illud ministrare, et similiter sacerdos ministraturus sacramentum pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, hujusmodi existenti in necessitate et extremo mortis periculo, non teneretur in statu gratiæ id agere; quæ omnia sunt aperte falsa ex omnium sententia; ergo necessitas suscipientis non excusat. Neque est ulla ratio, cur excuset, cum illa non obstet, quominus minister possit se præparare et debito modo fungi officio suo. De secundo capite, scilicet solemnitate ecclesiastica videtur etiam res clara, tum quia illa solemnitas est accidentaria; obligatio autem sancte ministrandi sacramentum est per se, et intrinsece oritur ex substantiali ritu, et sanctitate ipsius sacramenti. Unde in antiqua Ecclesia, quando in initio dabatur sacramentum, v. gr., baptismi, solo simplici ac essentiali ritu, non erat minor obligatio ministrandi illud in statu gratiæ, quam nunc sit, ut patet ex omnibus rationibus factis sectione præcedenti, quæ absolute procedunt ex vi ipsius sacramenti, et substantiæ ejus, seclusis his circumstantiis. Eo vel maxime, quia hæc cæremoniæ accidentariæ parum addunt sanctitati et gravitati ipsius sacramenti; non ergo potest ex eis oriri obligatio sub mortali culpa, si ex vi solius sacramenti non oritur.

3. Dices: non oriri ex solis cæremoniis ab Ecclesia adjunctis, sed ex sacramento conjuncto talibus cæremoniis, nam hoc totum aliquid majus est, quam sacramentum nudum. Sed hoc non satisfacit, nam cum tota hæc solemnitas accidentalis, sit veluti extrinseca, et per se non attingat sanctificationem animæ, et

non fiat a sacerdote, ut ab instrumento Christi, eo modo quo fit sacramentum, non videtur illa per se postulare ministri sanctitatem, ut sine peccato fiat; ergo, si sacramentum per se ad hoc non obligaret, propter solemnitatem illam adjunctam, hanc obligationem non induceret. Unde, si sacerdos ministraturus solemniter baptismum, inciperet in peccato mortali cæremonias ejus peragere, cum proposito tamen procurandi contritionem, et habendi illam, priusquam substantiam sacramenti perficeret, non videtur peccare mortaliter, etiam si omnes exorcismos et alia quæ præcedunt, in peccato mortali faciat, dummodo, prius quam abluat et verba formæ proferat, conteratur; e contrario vero ministrans sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, mortaliter peccat, quamvis ibi nulla fere sit solemnitas, nec accidentaliter ritus. Et idem fere est in dispensatione Eucharistiæ ex præconsecratis. De tertio capite, scilicet, consecratione ministri, quod nec illud etiam ad excusandum sufficiat, patet, quia hæc obligatio per se non oritur ex consecratione ministri, sed ex sanctitate sacramenti, et principali agentis, qui est Christus, et reverentia illis debita, quam non minus debet minister non consecratus, quam consecratus, et facile potest illam exhibere, cum possit se ad gratiam præparare. Unde licet in hoc genere fortasse magis peccet, per se loquendo, minister consecratus in hoc delinquens, propter sanctionem statum quem habet et majus auxilium, non est tamen cur alius omnino excusetur, cum ipse etiam sit minister Christi. Et confirmatur, quia alias contrahentes matrimonium in mortali peccato, non peccarent mortaliter, sacramentum illud in peccato ministrando; et sacerdos quodcumque aliquid ageret, ad quod non esset per se necessaria consecratio, non teneretur in gratia id operari; et ita licet dispensaret Eucharistiam in peccato mortali, non peccaret mortaliter, dummodo illam nec conficeret, nec sumeret, quia ad illud ministerium non est necessaria consecratio, cum fieri possit a diacono, vel etiam ab inferiori clerico, vel laico, in necessitate.

4. Conclusio. — Nihilominus dicendum est, eum, qui ob necessitatem privatim ministrat sacramentum, non ut minister ex officio, sed eo modo, quo laicus potest illud ministrare, non teneri se præparare ad gratiam, ut illud ministret, et consequenter nec peccare mortaliter, illud ministrando in peccato mortali, sive suum statum advertat, sive non. Hæc est

sententia D. Thomæ hic, q. 64, art. 6, ad 3, et in 4, d. 24, q. 1, art. 3, quæstiunc. 5; Rich., in 4, d. 5, art. 3, q. 3; Sylvestri, verbo Baptismus, n. 4; Cajetani et Soto hic; et fere nullus ex auctoribus in priori sententia citatis ausus est eam simpliciter docere. Fundamentum hujus sententiæ est, quia hæc obligatio sub peccato mortali, disponendi se ad gratiam, propter sacramentum conficiendum, non oritur ex sola sanctitate sacramenti per se considerata; neque ex eo, quod Christus in eo opere est principalis operans; sed præter hæc, quæ multum ad hanc obligationem conferunt, oportet adjungere, quod is, qui dat sacramentum, in ipso modo ministrandi se gerat ut persona specialiter et ex officio deputata et consecrata ad illud munus, atque adeo, quod in eo opere se exhibeat publicum Christi et Ecclesiæ ministrum. Ratio autem hujus est, quia cum hujusmodi minister per se et ex officio sit ad hoc munus institutus, et spiritualia subsidia recipiat accommodata ad hoc munus pro dignitate exercendum, ideo merito obligatur, ut cum debita dispositione et sanctitate id faciat, et ideo quando aliter facit, gravem irreverentiam et inordinationem committit; at vero quando privata personæ permittitur sacramentum dare ob necessitatem, non tam illi commissa censetur administratio sacramenti, quam concessa, ut subveniat necessitatem patienti, et ideo non debuit tantum onus illi imponi, sed satis est, quod sine contemptu, et cum debita fide, et exteriori reverentia sacramentum administret; tunc enim cessat illa specialis deformitas, quia hujusmodi ministro solum veluti per accidens permittitur tale ministerium. Confirmatur, quia hæc obligatio disponendi se ad gratiam propter sacramentum ministrandum non est tam clara et evidens, ut extendi debeat sine magno fundamento, et non potius restringi; ergo satis est, si eam admittamus in his ministris, qui per se et ex officio ad hoc sunt consecrati, præsertim cum decreta ecclesiastica, quæ hanc obligationem declarant, de his solum ministris loquantur, et naturalis ratio, in qua potissimum hoc præceptum fundari debet, judicio sapientum in his habeat specialiore vim, quam in aliis.

5. Quomodo peccent in mortali contrahentes matrimonium. — Ministrare Eucharistiam in mortali, mortale peccatum est. — Ad fundamentum ergo Durandi respondetur, laborare in æquivoco; verum est enim nullum posse ministrare sacramentum, nisi ex institutione

Christi, et virtute ejus; nihilominus tamen quidam sunt per se et ex officio ad hoc munus deputati et consecrati; et hos vocamus ministros ex officio, et propria Christi instrumenta, quibus incumbit specialis obligatio se conformandi in sanctitate suo principali agenti, cujus vicem gerunt. Alii vero, quibus solum ex accidenti et ob necessitatem hoc munus permittitur, non gravantur hoc onere, quia per se ad illos non pertinet hæc cura, et administratio. Ad secundum argumentum concedo, ex primo et secundo capite non sumi sufficientem rationem, sed potissimum ex tertio, ut declaratum est; nec ratio ibi facta contrarium suadet, nam licet hæc obligatio oriatur ex sanctitate sacramenti et principalis agentis, tamen non oritur respectu cujuscunque, sed respectu illius, qui per se est ad hoc munus deputatus et consecratus, nam licet omnes teneantur debitam reverentiam sacramento exhibere et auctori ejus, non tamen idem modus reverentiæ ab omnibus exigitur, sed ab unoquoque juxta capacitatem et statum suum. Ad confirmationem, quoad priorem partem de ministro sacramenti matrimonii, posset negari sequela, et dici, in illo sacramento ipsos contrahentes esse per se, et ex primaria institutione ministros illius, et ideo non solum recipiendo, sed etiam ministrando illud in peccato mortali, graviter peccare. Secundo vero responderi potest cum Soto, in 4, dist. 4, q. 5, art. 6, in ultimis verbis, concedendo sequelam, quia illi non sunt ministri consecrati ad illud munus, sed solum illis concessum est necessitate quadam, quia oportuit, materiam et formam sacramenti in ipsomet contractu constitui; contractus autem fieri non poterat, nisi per consensus expressos ipsorum contrahentium. Si ergo in peccato mortali contrahant, peccant graviter, sacramentum indigne recipiendo, et illius effectui obicem ponendo; non tamen proprie ministrando. Neque etiam peccat sacerdos, qui assistit ut Ecclesiæ minister, et contrahentes benedicit, etiam si hoc faciat in statu peccati, quia ille non ministrat sacramentum, sed solum adhibet accidentalem cæremoniam, ut notavit Paludanus, in 4, dist. 5, q. 2, n. 22. Ad aliam partem illius confirmationis distinguendum est, quid sit, consecrationem non esse per se necessariam ad aliquem actum; si enim dicatur non necessaria, quia sine illa potest interdum ille actus fieri valide, et cum fructu, in hoc sensu negatur, ex dictis sequi omnem actionem, ad quam non est simpliciter

necessaria consecratio, posse a sacerdote licite fieri extra statum gratiæ; alioquin etiam posset sacerdos licite baptizare solemniter in statu peccati. Alio ergo modo dicitur consecratio per se necessaria ad aliquem actum, vel dispensationem sacramenti, quia, per se loquendo, minister consecratur ad illum actum seu ministerium, quod propterea exerceri non potest tanquam a ministro publico, nisi ab eo, qui est ad illud consecratus, et hoc modo non solum conficere, sed etiam dispensare Eucharistiam per se fit a ministro consecrato; et ideo, si in peccato mortali fiat, grave peccatum erit, ut inferius latius suo loco dicemus cum D. Thoma infra, q. 82, art. 9; ubi absolute dicit, esse peccatum mortale ministrare illud sacramentum in peccato mortali, quamvis Paludan. supra excipiat casum necessitatis, de quo ibi videbimus.

6. *Sacerdos baptizans in peccato sine solemnitate, non peccat.* — Atque hinc aperte sequitur, peccare graviter sacerdotem, qui sacramentum poenitentiae ministrat in peccato mortali, etiam si suscipiens sit in quacunque necessitate, quia semper ille actus est proprius Ordinis sacerdotalis, et necessitas suscipientis est impertinens ad excusandum, ut recte probat argumentum supra factum, et omnes Theologi uno ore fatentur. Atque idem majori ratione dicendum est de ministrante extremam unctionem, confirmationem, aut Ordinem, quæ sunt sacramenta minoris necessitatis, et proprii actus Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis consecrationis. De sacerdote vero ministrante baptismum sine solemnitate in casu necessitatis, potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia licet in modo ministrandi, ita ministrare videatur sicut laicus posset ministrare, nihilominus ratione suæ consecrationis habet speciale jus ad illud munus; propter quod præferendus est cuivis alteri; videtur ergo se gerere ut minister ex vi consecrationis ad id deputatus. Nihilominus D. Thomas supra, quem alii sequuntur, idem sentit de sacerdote, quod de laico eo modo baptizante, quia revera tunc non baptizat ut minister ex officio, sed subvenit necessitatem patienti, eo modo quo laicus posset illud facere. Quod autem sacerdos sit præferendus laico in eo ministerio, non est sufficiens signum, quod operetur ut minister ex officio, quia etiam vir est præferendus foeminae, et clericus in quovis Ordine constitutus, laico, quia ad reverentiam sacramenti hoc spectat, et quia in universum rerum spiritualium administratio ad sacer-

dotes pertinet. Major posset esse dubitatio, si extra casum necessitatis, sacerdos baptizaret parvulum privatim, eodem modo, ac si esset in necessitate constitutus. Dicendum vero est, tunc peccare quidem graviter, vel usurpando jus ad baptizandum, quod non habet, vel baptizando modo indebito, juxta ea, quæ dicemus sectione sequenti; tamen supposito hoc peccato, non committere speciale peccatum mortale ex eo quod non se præparet ad gratiam, ut sic ministret, quia de facto hic et nunc non se gerit ut minister ex officio, et ideo de facto cessat alia obligatio, quamvis hoc ex culpa nascatur.

SECTIO V.

Utrum teneantur ministri sacramentorum in sacramentis ministrandis ecclesiasticum ritum servare, et quomodo in hoc peccent.

1. Hæc sola dubitatio superest circa obligationes ministrorum, quæ in ipsis absolute considerantur sine respectu ad suscipientem. In qua non est sermo de ritu substantiali a Christo instituto. De quo in secunda sectione diximus. Sed de accidentali ab Ecclesia superaddito. De quo hæretici hujus temporis, qui non omnino rejiciunt has cæremonias, ut superstitiosas, ad summum illas admittunt, ut voluntarias et non necessarias. Quia intolerabile (inquiunt) est, de his humana præcepta tradere, et legem libertatis, legem servitutis efficere. Sed est hæresis manifesta, contra ecclesiasticam potestatem a Christo traditam, et contra usum ac traditionem ejus. Est etiam hic error contra naturalem rationem, quia in omni republica necessarium est. ut in rebus sacris tradendis seu perficiendis sit aliqua forma præscripta, ut cum debito honore ac reverentia fiant.

2. *Conclusio prima.* — Quapropter dicendum est primo, esse in Ecclesia præceptum ministris sacramentorum impositum, ut ea non ministrent, nisi servata solemnitate et cæremoniis ab Ecclesia institutis. Conclusio est de fide, definita in Concilio Trident., sess. 7, can. ult. de Sacramentis in genere. De qua multa diximus supra, disputat. 15, ubi ostendimus, esse in Ecclesia hanc potestatem. Quod vero hac potestate fuerit Ecclesia usa tradendo hoc præceptum, ex ipsa consuetudine constat, et ex sensu omnium fidelium, et ex multis decretis, quæ suis locis afferimus. Hoc enim præceptum non est unum ge-

neratim datum de omnibus sacramentis, seu cæremoniis eorum, sed est obligatio consurgens ex variis præceptis latis in singulis sacramentis, juxta modum et ritum unicuique proprium.

3. *Conclusio secunda.* — Dico secundo, contemptum hujus præcepti semper esse peccatum mortale, transgressionem vero ejus absque contemptu, non semper, sed pro materia gravitate. Hoc constat ex generali doctrina de omnibus præceptis, quæ hic est specialiter applicanda. Et prudenter est discernendum, quid sit contemptus. Proprie enim in præsentia materia, si quis negligeret aliquas Ecclesiasticas cæremonias observare in sacramentorum administratione, existimans illas esse vel omnino superfluas, vel impertinentes, aut aliquid hujusmodi, ille proprie diceretur contemnere cæremonias Ecclesiasticas, et graviter peccaret, etiam si leviores cæremonias hoc animo negligeret, quia magnam faceret injuriam Ecclesiæ; atque indigne de spiritu, quo hujusmodi cæremonia instituta sunt, sentiret. Si autem aliquis negligens sit in hujusmodi cæremoniis, solum ex quadam fragilitate, quanquam sciens et videns faciat, non dicitur proprie contemnere, etiam si fortasse hujusmodi culpam levioris reputet, et ideo frequenter et facile illam committat. Non excusabitur tamen a gravi culpa, si cæremonias præceptas, et consuetudine Ecclesiastica receptas, hoc modo omittat in gravi materia, quia præceptum hoc ad virtutem religionis pertinet, cujus obligatio ex suo genere gravis est. Quæ autem sit in hoc negotio censenda materia gravis, quæ vero levis, prudenti arbitrio relinquendum est, potius quam certa regula definiendum; et in singulis sacramentis id explicabitur commodius. Generaliter tamen advertere possumus, cæremonias institutas propter sacram significationem esse graviore et culpabilius omitti, quam quæ propter solum ornatum et decentiam quandam instituta sunt; et eadem proportionem, quarum significatio est altior, graviore censebuntur, præsertim si cum significatione habeant aliquem spiritualem effectum. Ex his vero, quæ ad decentiam pertinent, circumstantia loci, et temporis præscripti, per se loquendo, solent graves existimari, quia hæ circumstantiæ multum spectant ad exteriorem ornatum, et publicam solemnitatem et existimationem, quod in his circumstantiis plurimum observandum est. Addendum denique est, hanc obligationem esse humanam; et ideo

per se loquendo, minorem esse, quam quæ oritur ex divino præcepto; et interdum posse cessare ob necessitatem urgentem, sicut patet in baptismo. Quomodo autem in cæteris sacramentis hoc observandum sit, in propriis locis dicemus.

DISPUTATIO XVII.

DE PRÆCEPTIS PERTINENTIBUS AD EOS, QUI SACRAMENTA SUSCIPIUNT.

Hæc disputatio erit brevissima, quia de hac obligatione in genere sumpta pauca auctores dicunt. Possumus autem illam ad duo capita revocare: unum est de obligatione utendi, seu suscipiendi sacramenta; aliud de obligatione pertinente ad modum illa recipiendi.

SECTIO I.

Utum sacramentorum usus sit in præcepto.

1. Superius in Commentario art. 4, quæst. 65, duplicem necessitatem sacramentorum distinximus, medii videlicet et præcepti; priorem ibi explicavimus, posteriorem vero in hunc locum remisimus. Quia vero præcepta dantur de actibus in particulari seu in specie, hic vero de sacramentis in genere disputamus, pauca possunt de hujusmodi necessitate proveniente ex præcepto in genere dici.

2. *Obligatio præcepti duplex.* — Breviter ergo advertendum est, duplicem posse intelligi obligationem præcepti: una est per se, altera per accidens seu propter aliud. Prior est, quando sacramentum absque alio extrinseco fine, propter suam utilitatem seu effectum, præceptum est, quomodo est necessarium confiteri semel in anno, aut communicare in Paschate; posterior obligatio intelligi potest, si contingat usum sacramenti esse necessarium ad extrinsecum finem, ut, verbi gratia, ad vincendam tentationem, vel vitandum scandalum, vel subveniendum proximis, aut aliquid hujusmodi.

3. *De sacramentorum usu, divino et humano jure præceptum.* — Dicendum est ergo primo, sacramentorum usum tam divino jure, quam Ecclesiastico præceptum esse. Hæc assertio eodem fere modo explicanda est, quo necessitatem medii declaravimus. Non est ergo intelligenda distributive, sed indefinite; non enim nunc definire volumus quæstionem illam, an omnia sacramenta præcepta sint

divino jure vel Ecclesiastico, quæ in quibusdam clara est, in aliis magnam habet difficultatem. De baptismo enim certa res est, impositum esse illius præceptum omnibus adultis, qui soli sunt præcepti capaces; et eadem certitudo est de sacramento penitentiae, respectu eorum, qui post baptismum mortaliter peccaverunt, nam utrumque ex his sacramentis est medium necessarium ad salutem; at vero præcepta potissimum dantur de his mediis necessariis, vel potius ipsamet necessitas medii in hujusmodi actibus adutorum necessario supponit præceptum, ut supra tetigimus. Et hoc satis esset ad veritatem conclusionis positæ, quia ut indefinite verum sit, usum sacramentorum esse in præcepto, satis est, quod aliqua sacramenta sint in præcepto. Ultra hæc vero certum etiam est, usum Eucharistiæ esse in præcepto; et de Ecclesiastico quidem, de fide est; de divino autem res est controversa, quamvis probabilior sit sententia, quæ id affirmat. De confirmatione vero et extrema unctione, utrumque est dubium, ut suis locis tractabimus. Tandem de Ordine et matrimonio constat, non esse data præcepta, quæ singulos obligent, regulariter aut moraliter loquendo, quia hæc sacramenta nec singulis necessaria sunt, nec propter utilitatem singulorum sunt per se instituta; est tamen in Ecclesia præceptum, communitatem obligans, ne in ea desint sacerdotes, nec christiana conjugia, ad conservandam ipsam Ecclesiam necessaria. Atque ex his potest facile reddi generalis ratio conclusionis; nam sacramenta instituta sunt a Christo, ut animarum medicinæ, et remedia valde necessaria ad salutem fidelium, et convenientem totius Ecclesiæ gubernationem; ergo oportuit illis adungi præceptum.

4. *Obligatio ad usum sacramenti sæpe oritur ab extrinseco.* — Cujus generis sit talis obligatio, et ejus omissio. — Dico secundo, hujusmodi sacramentorum usum sæpe posse cadere sub obligationem ex fine vel circumstantia extrinseca, etiam tunc, quando proprium sacramentorum præceptum non obligat. Probatur, quia licet sacramenta habeant proprios et quasi intrinsecos fines, propter quos præcipi possunt, tamen etiam possunt esse valde utilia, vel moraliter necessaria ad alios fines per accidens occurrentes; ergo potest in ea cadere obligatio quasi extrinseca, seu per accidens. Exemplis res facile declaratur; nam fieri potest, ut aliquis, tentatione aliqua urgente, teneatur ad illam vincendam

vel confiteri, aut communicare, si diuturna experientia moraliter certus sit, solere se a tentatione superari, quando hujusmodi remedium omittit. Item ad communionem dandam proximo in necessitate existenti potest obligari sacerdos ut Eucharistiam conficiat, et consequenter ut ipse communicet. Quod si conscientiam peccati mortalis habeat, ex conscientiam obligabitur confiteri, et sic de aliis. Ex quibus exemplis intelligere licet, hanc obligationem, quam per accidens vocamus, oriri ex illa virtute, ad quam pertinet actus, propter quem usus sacramenti existimatur necessarius, ut si sit ad vincendam tentationem libidinis, erit obligatio ex castitate; si ad subveniendum proximo, erit ex charitate; et frequentius oritur hæc obligatio ab hac virtute, quæ universalior est. Interdum vero, licet raro, potest oriri ex justitia, ut in parcho, qui tenetur Missam facere; ut omittam obligationem valde extrinsecam, quæ ex voto oriri potest. Denique hinc etiam intelligitur, quando obligatio recipiendi sacramentum est hujus posterioris generis, omissionem ejus non esse speciale peccatum religioni sacramentorum contrarium, quale erit, quando omittitur proprium præceptum sacramenti, sed esse peccatum vel circumstantiam peccati contrarii illi virtuti, unde orta est obligatio; ut si orta est ex necessitate vincendi tentationem carnis, omissio sacramenti habebit malitiam castitati contrariam, quia vel ea occasione homo lapsus est, vel morali periculo se exposuit; si vero ratio obligationis fuit proximi necessitas, omissio ejus erit contra misericordiam. Atque in his casibus et similibus, omissio hæc non est peccatum distinctum ab illo, quod contrarium est virtuti, unde obligatio oritur, sicut in simili dictum est disputatione præcedenti, sectione tertia.

SECTIO II.

Utum graviter peccent, qui sacramenta indigne recipiunt.

1. In modo recipiendi sacramenta duo possunt considerari. Unum est ex parte ipsius sacramenti, scilicet, quod vere, integre, et cum debitis circumstantiis fiat; aliud est, ex parte effectus sacramenti, et consequenter ex parte dispositionis suscipientis, quæ ad effectum est necessaria.

2. *Quæ necessaria sunt et ad substantiam sacramenti, et ad decentem modum recipiendi,*

adhibere tenetur recipiens. — Dicendum est ergo primo hominem, qui sacramentum suscipit, obligari ex præcepto ad exhibenda ea omnia, quæ ex parte illius necessaria sunt ad valorem et substantiam sacramenti; et ad eas etiam circumstantias, quæ vel ex natura rei, vel speciali Ecclesiæ præcepto necessariae sunt ad decentem modum recipiendi sacramentum. Tota hæc conclusio est fere ex terminis evidens. Et prior quidem pars constat ex dictis in simili de obligatione ministri. Nam cooperatio suscipientis est in suo genere necessaria, ut sacramentum fiat; ergo tenetur ipse adhibere suum concursum necessarium, alioqui non esset sacramenti susceptio, sed illusio et irrisio sacramenti, gravisque et injuriosa Ecclesiæ deceptio. Hic autem concursus generalis omnibus sacramentis est, quod recipiens habeat intentionem debitam formalem, vel virtualemente recipiendi sacramentum; tenetur ergo ex præcepto illam habere, et graviter peccaret, si absque tali voluntate accederet. Deinde huc spectat, ut nullus accipiat sacramentum, cujus est incapax; ut si foemina vellet ordinari, aut Professus, vel Ordinatus in sacris, uxorem ducere, aut homo sanus ungi. Nam in his et similibus casibus fit speciale peccatum sacrilegii contra reverentiam debitam sacramento. Præterea, quando recipiens adhibet aliquem concursum activum, ex vi hujus obligationis, tenetur ita illam exhibere, ut sacramentum fiat; ut in sacramento penitentiae debet integre confiteri, et cum dolore; in sacramento Ordinis debet tangere calicem, v. gr.; et nunc in sacramento matrimonii tenetur non exhibere consensum, nisi coram parcho et testibus. Posterior pars per se etiam satis clara est. Nam supposita sacramenti sanctitate et religione, ipsa ratio naturalis dicit esse decenter, et cum debita veneratione suscipiendum. Leges autem Ecclesiasticæ, quæ ad ritum sacramentorum pertinent, quamvis præcipue ad ministros attineant, interdum vero recipientes per se obligant, ut, v. gr., quod jejuni communicent, et si quæ sunt similes. Imo præcepta, quæ de his ritibus ministris imposita sunt, possunt quodammodo redundare in recipientes, quatenus non debent sacramenta suscipere, nisi a ministris, qui debito modo et servato Ecclesiastico ritu ea dispensent, quamvis hæc obligatio ea solum ratione possit recipientes obligare, quatenus tenentur non participare nec communicare alieno peccato, nec ministrum ad peccandum